

tractu examina graculorum monedularumq; cui soli
 aui furacitas auri argentiq; præcipue mira est. Picus
 Martius in Tarentino agro negatur esse. Nuper, &
 adhuc tamen rara, ab Apenino ad urbem versus cer-
 ni capere picarum genera, quæ longa insignes cauda
 variæ appellantur. Proprium his caluescere omnibus
 annis, cum serantur rapa. Perdices non transuolant
 Bœotia fines in Attica: nec vlla auis in Ponto, insula
 qua sepultus est Achilles, sacratam ei ædem. In Fide-
 nate agro iuxta urbem ciconia nec pullos nec nidum
 faciunt. At in agrum Volaterranum palumbium vis
 è mari quotannis aduolat. Romæ in ædem Hercules in
 foro Boario, nec muscæ nec canes intrant. Multa præ-
 terea similia, quæ prudens subinde omitto in singulis
 generibus, fastidio parcens: quippe cū Theophrastus
 tradat inuæctitas esse in Asia etiam columbas, & pa-
 uones, & coruos, & in Cyrenaica vocales ranas. Alia
 admiratio circa oscines: fere mutant colorē vocemq;
 tempore anni, ac repente fiunt aliæ: quod in grandiore
 alitum genere grues tantum. Eæ enim senectute nigre-
 scunt. Merula ex nigra ruffescit, canit æstate, hyeme
 balbutit, circa solstitium muta. Rostrum quoq; am-
 niculis in ebur transfiguratur, duntaxat maribus. Tur-
 dis color æstate circa ceruicem varius, hyeme conco-
 lor. Luscinij diebus ac noctibus continuis xv. garru-
 lus sine intermissu cantus, densante se frondium ger-
 mine, non in nouissimum digna miratu aue. Primum
 tanta vox tam paruo in corpusculo, tam pertinax spi-
 ritus. Deinde in vna perfecta musica scientia modula-
 tus editur sonus: & nunc continuo spiritu trahitur
 in longum, nunc variatur inflexo, nunc distinguitur
 cōciso, copulatur intorto, promittitur reuocato, insu-
 scatur ex inopinato: interdum & secum ipse murmu-
 rat: plenus, grauis, acutus, creber, extensus, vbi visum
 est vibrans, summus, medius, imus. Breuiterq; omnia
 tam paruulis in faucibus, quæ tot exquisitis tibi-
 arum tormentis ars hominum excogitauit: ut nō sit dubium
 hanc suauitatem præmonstratā efficaci auspicio, cum
 in ore Stesichori cecinit infantis. Ac ne quis dubitet
 artis esse, plures singulis sunt cantus, nec ydem omni-
 bus, sed sui cuique. Certant inter se, palamq; animosa
 contentio est. Victa morte finit sæpe vitā, spiritu prius
 deficiente quàm cantu. Meditantur alia iuniores, ver-
 susq; quos imitentur accipiunt. Audit discipula inten-
 tione magna & reddit, vicibusq; reticent. Intelli-
 gitur emendata correctio, & in docete quædam repræ-
 hensio. Ergo seruorum illis precia sunt, & quidē am-
 pliora quàm quibus olim armigeri parabantur. Scio
 sestertijs vi. candidam alioquin, quod est prope inusi-
 tatum venisse, quæ Agrippinæ Claudij principis con-
 iungi dono daretur. Visum iam sæpe, iussas canere cœ-
 pisse, & cum symphonia alternasse: sicut homines re-
 pertos, qui sonum earum, addita in transversas harum
 dines aqua, foramen inspirantes, linguæque parua ali-
 qua opposita mora, indiscreta redderent similitudine.
 Sed eæ tanta tamque artifices argutie à xv. diebus

paulatim desinūt, nec vt fatigatas possis dicere aut sa-
 tiatas. mox æstu aucto in totum alia vox fit, nec mo-
 dulata aut varia. mutatur & color. postremo hyeme
 ipsa non cernitur. Linguis earum tenuitas illa prima
 non est, quæ cæteris auibus. Pariunt vere primo, cum
 plurimū sena oua. Alia ratio ficedulis. Nam formam
 simul coloremq; mutant. Hoc nomen non nisi autum-
 no habent, postea melancoryphi vocantur. Sic & eri-
 thacus hyeme, idem phœnicurus æstate. Mutat et vpu-
 pa, vt tradit Aeschylus poeta, obscœna alias pastu
 auis, crista visenda plicatili, contrahens eam subri-
 gensque per longitudinem capitis. Oenanthe quidem
 etiam statos latebræ dies habet, exoriente sirio occul-
 tata, ab occasu eiusdem prodit: quod miremur, ipsis
 diebus vtrunq;. Chlorion quoq; qui totus est luteus,
 hyeme non visus, circa solstitia procedit.

De merulis.

CAP. XXX.

Merula circa Cyllenen Arcadiæ, nec vsquam
 aliubi candida nascuntur. Ibis circa Pelusium
 tantū nigra est, cæteris oibus locis candida.

Tempus auium genitura.

CAP. XXXI.

Oscines, præter exceptas, non temere fetus fa-
 ciunt ante æquinoctium vernum, aut post au-
 tumnale: ante solstitium autē dubios, post sol-
 stitium vitales.

De halcyonibus, & de diebus earum nauiga-
 bilibus, & gauijs, & mergis.

CAP. XXXII.

Eo maxime sunt insignes halcyones. Dies earum
 partus, maria quiq; nauigant nouere. Ipsa auis
 paulo amplior passere, colore cyaneo ex parte
 maiore, tantū purpureis & candidis admixtis pennis,
 collo gracili ac procero. Alterū genus earū magni-
 tudine distinguitur & cantu. Minores in harundinetis
 canunt. Halcyonē videre rarissimum est, nec nisi Ver-
 giliarum occasu, & circa solstitia brumam hie, naue
 aliquando circumuolata statim in latebras abeuntē.
 Fætificant bruma, qui dies halcyonides vocantur, pla-
 cido mari per eos & nauigabili, Siculo maxime. In
 reliquis partibus est quidem mirius pelagus. Siculum
 vtiq; tractabile. Faciunt autem septem ante brumam
 diebus nidos, et totidem sequentibus pariunt. Nidi ex-
 rum admirationem habent, pile figura, paulum emi-
 nenti ore perquam angusto grandium spōgiarum simi-
 litudine: ferro intercidi non queunt, franguntur ictu
 valido, vt spuma arida maris. Nec vnde confingan-
 tur, inuenitur. Putāt ex spinis aculeatis: piscibus enim
 viuunt. Subeunt & in amnes. Pariunt oua quina.
 Gavia in petris nidificat, mergi & in arboribus.
 Pariunt plurimum terna. Sed gavia æstate, mergi in-
 cipienti vere.

De auium solertia in nidificando, hiru-
 dine argatili, cynamolgis, & per-
 dicibus.

CAP. XXXIII.

Halcyonū nidi figura, reliquarū quoq; solertia
 admonet: neq; alia parte ingenia auiū magis ad-
 miranda. Hirundines luto cōstruunt, stramento
 roborant.